



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Tota ei vita oratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Montes, plana, agri, vineæ, villæ, ac cetera huiusmodi occurrerent, Deo gratias vice, ac nomine possessorum, & incolarum agebat: eisdemq; veniam postulabat, si ipsi nescirent, negligenter grati esse: Eisdem postremo necessaria ad salutem, & ad suas rectè explendas partes auxilia implorabat. Eadem munera agendarum gratiarum, veniæ, & opis poscendæ, vt susciperent, supplerentque Angelos per ea loca custodes cõprecabatur. Nihilo segnius vbi primum ad oppidum, Prouinciam, aut Regnum aliquod perferretur, Præsides eorum locorum Archangelos, & clariores apud eas gentes venerabatur Sanctos; & inuocabat, vt & incolis, & sibi adesse boni, propitiique vellent, dum inibi legatione pro Deo fungeretur.

Ex hoc instituto facile consequeretur Canisius, vt assidue inter superos magis, quàm inter mortales habitaret: interq; agendas res non modo suauitas, & quidam quasi floridus pietatis succus non elangueretur, sed etiã vireret pulchrius, & effloresceret pabulo ex actione ipsa petito, quæ perfectissima est Beatarum Mentium, quæ simul in ministerium humanæ salutis missæ semper vident faciem Patris, quoad humana tarditas pati-

*Tom. ei. Sicut
oratio.*

tur, imitatio. Ex ipsis Canisij epistolis haud obscure intelligere est, quam vndiq; sacrarum argumenta precatio nū arriperet: quam inter opus ab consuetudine Dei non recederet, quam per omnia sibi ad illum faceret gradum. Interferit enim creberrimas, mireque dulces, spirantes, ac pro argumenti modo varias preces: nunc gratias agens, nunc veniam implorans; nunc sibi, nunc aliis, de quibus est sermo, lumen, aut vires, aut dolorem peccatorum, aut alia pro tempore, ac loco rogās aptis a deo formulis, vt qui accuratè obseruet, preclaram inde precum, earum, quas missilium instar Iaculatorias Magistri Virtutis appellant, summoque opere, ac iure laudant, colligere syluam queat ad omnes vsus. Per frequētes illæ sunt. Deus in gloriam suam conuertat studia nostra. Totum cedat in honorem Dei, & animarū salutem. Deus æternus det nobis summam sapientiam, & ardētem caritatem, vt omnia dirigamus ad maiorem eius honorem, & commune bonum. Dominus Iesus in gloriam suam nostros conatus dirigat. Nec verò alium in familiari cōgressione, coramque rebus gerendis morem tenebat. Itaque commodissimam repererat viam actionis cum contempla.

*Præclare cum
actione orationem
miscet.*